

B. C. D.
DISSERTATIO IN AVGVRALIS
CHIMICO-MEDICA

DE
PRINCIPIIS
CHIMICORVM

Quam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
D. GVILIELMO HENRICO,
DUCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM,
ANGARIAE, WESTPHALIAE, ET RELIQA,
SVB-PRAESIDIO

IOAN. ADOLPHI WEDELII,
PHILOS. ET MED. DOCT. PROF. PVBL. ORD. MED. PROV.
SAXO-VINAR AC CIVIT. IENENS. PHYSICI,
PATRONI, PRÆCEPTORIS ET PROMOTORIS ÆTERNVM COLENDI,
PRO LICENTIA
SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES, INSIGNIA
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA, MORE MAIO-
RVM RITE CAPESSENDI

Solenni Philiatrorum Examini submisit

CHRISTOPHORVS PAVLVS KOCH,
MEININGA-FRANCVS.
ADD. XXIX. Junii. MDCCXVI.
IN ~~UD~~ITORIO MEDICO
Horis Consuetis.

LETTERIS KREBSIANIS.

Præ

Wor

IVR

PHI

S.R.M.

CAR

CHRISTIANAEGARALIS
HOC EST HONORIS INSCENIA
IN AESTHETICO PRAESENCIO
HOC EST CONGENITUM
CAROLUS RIBES
PATERIS KREBSIVNIUS

VIRIS

*Prænobilissimis, Amplissimis, Consultissimis
atque Excellentissimis*

DOMINIS

WOLFGANGO FRIDERICO TRIERO,
IVRIS CONSVLTO CELEBERRIMO;

PHILIPPO FRIDERICO TRIERO,

S. R. M. POLONICÆ ET ELECTORIS SAXONIÆ
CONSILIARIO AVLICO GRAVISSIMO,

CAROLO FRIDERICO TRIERO,

IVRIS CONSVLTO INCLYTO,

Fratribus ac Hereditariis
in Glücks-Brunn

*PATRONIS SVIS, FAVORIBVS
AC COGNATIS*

Omni honoris & obseruantiae
cultu prosequendis

DISSERTATIONEM HANCCE
INAVGVRALEM

D. D. D.

CHRISTOPHORVS PAVLVS KOCH.

VIRI
Prænobilissimi, Amplissimi,
Consultissimi atque Excel-
lentissimi.



Rata teneo mente, affe-
ctus Vestros erga me in-
signes, quibus per plures
gauisus sum annos. Noui
equidem, quam laudes, etiam si dignis-
simas, auersemini. hinc vereor in easdem
pleniū prouehi. Attamen cum & de-
uincti animi & votorum meorum tes-
seram

seram exhibere debeam, patiamini
quæso, Viri excellentissimi, quod,
Vestrīs amplissimis nominibus præfi-
xis, dissertationem meam inaugura-
lem prodire voluerim. Diuinum Nu-
men seruet Vos incolumes, id quod
ut sit, votis ad Deum perpetuis in de-
fessus ero. Valete, meque amare per-
gite. Dabam e museo Ienæ d. xxiiix.
Iunii M DCC XVI.

I. N. J



I. N. I.

PROOEMIVM.

Deo in primis scientiarum impediunt incrementum, significatio verborum diuersa, & falsa ratiocinatio. Illa enim efficitur, ut quidam aliam longe rem per idem verbum intelligant, quam is, qui veritatem quandam proposuit. Acerreme hinc s̄epenumero inter se disputant, & de eadem re agere videntur, cum tamen, si quilibet animi sui sensa rite explicet, uterque sub eodem tantum verbo diuerla exhibeat.

Vsu id venire solet in iis præcipue rebus, quæ non ita obuiæ sunt, & nomen ab aliis, similitudinem quandam habentibus, adquirunt. Hinc tum alias, tum maxime in naturalium rerum scientia orta sunt maxima dissidia, quæ tamen tanta non sunt, si rem ipsam respiciamus.

4 DISSERTATIO INAVGURALIS CHIMICO-MEDICA

Quanquam vero eadem veritas aliis tantum verbis, aliaque via eruatur & doceatur, damnum tamen haud leue inde consurgit. Eodem enim labore, quo inuenta iam ac recte se habentia, denuo alia via, vel potius aliis verbis inuenire sustinent, progressus fecissent longe maiores, si ex his ad inquirendum vterius processissent.

Hoc impedimento alterum, falsa nempe rationatio, longe maius existit, cum non solum progressus in scientia fiat nullus, sed etiam præterea falsis illa conspurcetur adsertis, quibus, paucioribus quoque, admissis, infiniti errores nascuntur. Frequentius hoc fieri solet, si ex aliis scientiis quædam haud rite intellecta applicare contentur, vel alias quoque recte se habentia sinistre adhibeant.

Eadem impedimenta fecere, quo minus medicina & naturalis scientia ad eum perfectionis gradum peruerent, quem habere possent. Chimiam enim clauem rerum naturalium alteram negligunt plerique, eiusque artis terminis significationem alienam affingunt, vnde, rationes etiam falsæ ut sequantur, necesse est.

²⁰⁰ Vtique quidem scientiæ magnam lucem attulit mathesis conuenienter applicata, nisi autem chimia in auxilium simul vocetur, multa obscura permanent, imo

lmo plane i
dant, princ
nis inaugu
Faxit zter
queniant!

Principia
vel cogn
cta iam tant
tem haud fa
quibus res na
tates & opera
nimurum ex
enim a struc
tinent scienti

Genera

ralium princ
neratim con
scitur, quod
impenetrabil
quod ob has
variam figur
Hanc materi
signare, qua
experimenti

Minime
rebus natura

imo plane intelligi nequeunt. Hæc ut clariora euadant, principiorum chimicorum doctrinam speciminiis inauguralis loco perspicue proponere conabimus. Faxit æternum Numen, ut feliciter omnia cedant, & cueniant!

§. I.

Principia chimica alias diuiduntur, quod sint vel effendi, vel cognoscendi, vel curandi. Effendi principia illis dicta iam tantum considerabimus, reliquorum vero mentionem haud faciemus. Sunt autem eiusmodi principia, e quibus res naturales constant, eorumque natura, proprietates & operationes deriuari & explicari possunt; quatenus nimirum ex mixtura partium minimarum proueniunt, quæ enim a structura dependent, non ad chimiam, sed alias pertinent scientias.

§. II.

Generatim enim omnibus consentientibus rerum naturalium principia interna sunt materia & forma. Materia si generatim consideretur, ex proprietatibus communibus cognoscitur, quod nimirum sit extensa, diuisibilis, figura gaudens, impenetrabilis & ad motum habilis. Facile autem patet, quod ob has proprietates materia varietatem recipiat, cum variam figuram, magnitudinem & motum habere queat. Hanc materiæ varietatem non tam pro lubitu fingere & assignare, quam potius cum chimicis inquirere, & mediantibus experimentis atque ratiociniis firmis eruere debemus.

§. III.

Minime eiusdem, sed diversæ conditionis materiam in rebus naturalibus hærere, cum oculis ob nimiam subtilitatem

6 DISSERTATIO INAVGURALIS CHIMICO MEDICA

tem haud statim possimus percipere, optime deprehendimus, si dissolutionem & diuisionem earum per actiuora corpora factam respiciamus. Ignis, aqua & aer, si rebus admoueantur, in diuersi generis partes eas dirimunt, quod fieri non posset, si ex eiusdem prorsus conditionis materia fuissent conflatae. Fac autem, quod de igne in primis quidam obiiciunt, hæc non tam separari, quam de nouo confici, tamen e diuersis particulis corpus fuisse compositum, satis euidenter hic effectus probaret. Idem enim agens, eodem modo eidem obiecto applicatum, necessario eundem esse-
tum edere debet, si itaque eiusdem prorsus generis partes minimæ adessent, omnes omnino in penitus similem substanciam deberent mutari. Cum autem id non eueniat, diuer-
sitas materiæ inhærentis clarissime innotescit.

§. IV.

Diversitate materiæ ostensa, videndum porro est, num indefinita varietas hæc sit, an vero determinatus eius reperiatur numerus. Optime id deprehendemus, si corporum resolutionem, quoconque fieri potest modo, instituamus, & tamdiu continuemus, donec nihil amplius diuersi diuisio-
ne tali obtineamus. Hac enim ratione ad initia, *vt Cicerο in Acad. Quæst. lib. 1.* vocat, seu elementa corporum tan-
dem peruenire licet, ex quibus reliqua sunt composita. Quanquam enim concedamus, diuidi corpora in infinitum posse, a posse vero ad esse etiam hic non valet consequen-
tia. Atque hæc potentia vnice Omnipotenti Numini tan-
tum conuenit, quod in ipsa creatione certa ac definita initia, seu elementa corporum constituit, vnde semper talia, haud vero infinita, in analysi corporum se exhibent.

§. V. Me-

§. V.

Media, quibus mixtorum eiusmodi resolutio ac diuisio in diuersas partes instituitur, sunt vniuersalia illa agentia materialia, ignis, aer, aqua. Hæc a chimicis in duas classes diuiduntur, dum igne ac menstruo, ita vero ipsis vocatur liquor soluens quicunque, omnem resolutionem præstant; aer enim partim ad ignis, partim ad menstrui activitatem concurrit. His si accedant subtiliores & agiles mixtorum partes, vis diuidendi augetur, vt ex dicendis constabit.

§. VI.

Ne autem ea admittamus, quæ probatione egere vindentur, ante omnia euincere debemus, hæc separationis instrumenta separare tantum partes diuersas minimas, haud vero confidere. Inprimis enim ignis multis suspectus videtur, & mutationem quandam afferre creditur. Verum pleraque, quæ ab igne profici sci videri poterant, etiam absque igne ex iisdem mixtis separari queunt. Sic sal volatile plantarum absque igne & addidamento elicetur. Ita e gelatina cornu cerui spiritus volatilis vrinofus, cuius ne vestigium quidem antea ibi sentiebatur, sine igne obtinetur, eodem modo se habens, ac qui immediate ex cornu cerui per ignem extorquetur, nisi quod hic oleosæ partes magis iunctæ sint, quæ ibidem melius ab eo separatæ habentur. Pro ignis igitur effectu haberri nequit, quod sine igne quoque adquiritur. Simili modo ea, quæ per reliqua secedunt instrumenta, cognoscuntur, quod in corporibus latitauerint, non vero ab his fuerint præparata & de nouo confecta.

§. VII.

Omnia itaque, quæ in minimis eiusmodi mutationem quandam præstare videntur vel solent, eandem tantum noua mixturæ

8. DISSERTATIO INAVGURALIS CHIMICO-MEDICA

mixtione vel separatione minimorum corporum perficiunt, nullo modo autem eorundem alteratione alia. Eleganter hinc Hippocrates noster Lib. V. de diet. cap V. t. 4. Quid vero, inquit, dicam generari & persire, vulgi gratia interpretabor. Hęc autem commisceri & discerni significare declaro &c. Si enim ignis vim immutandi haberet aliam, ea in iis quoque se deberet exserere, quae ex diuersis particulis non constant. Videmus autem eiusmodi res nullo modo ab igne mutari, sed illibatas perstare, ut terra & aqua heterogeneis particulis orbatae ostendunt. Imo in talia quoque, quae quidem compositione gaudent, sed volatiles non habent intertextas partes, ignis nullum ius habet, ut mutet, si per mutationem diuersum quid ab intimiori mixtione & coniunctione intelligamus, quae per ignem in quibusdam obtinetur. Ignem autem ea facultate non habente, qui tamen actuitatem possidet maximam, multo minus reliquis tale quid tribui potest.

t.

§. VIII.

His instrumentis igitur separationem diuersarum in corporibus harentium particularum instituerunt chimici, & deprehenderunt, non nisi duas substantias, quae in alias veterius diuidi haud possunt, reperiri. Harum una præ se fert consistentiam solidam, nec saporem, nec odorem habet. Nomen itaque aptum huic vt darent, Terram cum aliis quoque Philosophis vocarunt, quae tamen cum vulgari, mixta adhuc, non debet confundi. Altera autem fluida existit, & idem sine sapore ac odore, vnde Aqua nomen ipsi impo- fuerunt, vt innuerent, magnam conuenientiam eam habere cum aqua vulgari, vel copiosius in ea reperiri. Cum itaque omnia reliqua mixta tandem in terram vel aquam resoluantur,

tur, materiam eorundem primam has esse, non sine ratione firma affirmarunt. Ut hinc ipsis sit terra primum solidum, aqua primum fluidum. De figura harum particularum simplicissimarum non solicii fuere chimici, cum nullo sensu possit deprehendi, maxime autem verisimile est, terreas angulares, aqueas vero rotundas existere, & has illis multo minores.

§. IX.

Præter has mixtorum particulas simplicissimas, occurunt in corporibus aliæ, quarum aliquæ quidem respectu harum compositæ, respectu vero reliquarum simpliciores sunt. Compositas autem esse, exinde constat, quia in terram vel aquam iterum abire possunt. Hæ vero, cum non statim ita in sensus incurvant, per agentia superius tacta optime a se inuicem & ab aliis discernantur. Omnino enim etiam hic illud valet axioma: quæ conueniunt vni tertio, conueniunt inter se. Quædam hinc ab aqua, quædam ab igne, quædam vero ab aere singulariter adficiuntur, motumqæ peculiarem adquirunt. Ab aqua quædam adficiuntur ita, ut prompte soluantur, & in poros aquæ transfeant, vnumque fluidum cum ea constituere videantur, quod postmodum vim agendi maiorem, quam sola aqua, obtinet, ut alia quoque simili modo soluere queat, vnde menstruum vniuersale euadit. Præterea gustus organon adficiunt hæ particulæ & saporem exhibent, quod nulla ex reliquis perse & sine his præstat. Quoniam vero nomen hisce imponendum erat, a concreto & mixto omnibus notissimo, sale communi, quod copiosissimas tales particulas in se continet, illud mutuarunt Chimici & sal vocarunt.

§. X.

Rectissime hinc sal chimici definiunt, quod sit primum sapidum seu gustabile, & primum solubile actiue & passiue. Materiam salium terram esse, praecipue corundem consistentia, quia in secco concrescent, & in primis resolutio, quia in terram resolui possunt, probant. Non tamen tam facilis est haec resolutio, sed certis tantum circumstantiis obseruatis potest perfici, vnde ob hanc causam salia haec immixta transsumuntur, in iisdem ita permanent, & ex eis iterum separantur, absque tali resolutione. Figuram partes saline minima omni peculiarem habent, & rigidæ, acuminatae, hispidæ ac asperæ sunt sine dubio. Specialem vero cuilibet sali figuram adsignare haud certo possumus, cum nec experientia nec ratio hic sufficiat, quanquam ex crystallisatione salium quædam probabilia haberri queant, nondum tamen omni carent dubio. Sal in mixtis reperiendum non per omnia eiusdem est conditionis, sed duplex habetur, quod inter se coniunctum tertium constituit. Vnum ex his vocatur *acidum*, cuius idea omnibus nota est ex sapore & odore, alterum dicitur *alcali*, cuius ea est natura, vt cum acido effervescat. Vtrumque hocce sal compositum medium seu enixum chimicis dictum constituit, quod a sapore *salsum* quoque adpellatur.

§. XI.

Vt ab aqua sal, sic ab igne aliæ quædam in mixtis partes singulari modo adficiuntur, ita, vt accendantur, & in ignem mutentur, quod nullis aliis contingere obseruatur. Has itaque a sulphure communi, quo ex mixtis vulgaribus ob abundantes ibidem tales partes nihil promptius accendiuntur, dixerunt *Sulphur*. Atque idco definitur illis sulphur, quod sit

sit primum inflammabile; quicquid igitur ardet sulphur est. Materia sulphuris potissimum aqua existit, in quam ultimo resoluitur, quod experimenta a multis allata ostendunt. Figura minimarum particularum sulphurearum rotunda videtur, cum ab igne accensum inflammam, quæ fluidum quoddam est subtilissimum, abeat. Ab eadem dependere videtur eiusdem conditio, quod sit summe flexible. Viscidum una est, cohæsiuum & glutinans, imo alias habet proprietates, quæ iam a nobis, cum breues esse cogamur, non considerabuntur. Existentiam enim magis, & generalem horum principiorum doctrinam, tradere est animus.

§. XII.

Restant illæ adhuc in mixtis reperiundæ particulæ, quæ ab aere ratione singulari adficiuntur. Videmus enim quasdam in mixtis esse, quæ ab aere prompte eleuantur, reliquis intactis relicti. Atque hæ volatiles, exhalabiles & euaprabiles existentes, cum a fixioribus tali conditione non gaudentibus maxime differant, & agendi vim habeant maiorem, seorsim, tanquam principium corporum actuum, secundum rāmen, considerarunt chimici. Nomen hisce generatim dederunt Mercurii, quia mercurius metallicus præ reliquis hanc habet proprietatem, vt vix domari fixusque reddi possit, quin semper iterum, si signi admoueatur, auolet, seu ab aere eleuetur. Materia mercurii sunt omnes ante recensitæ particulæ, quæ, si vel in talem redigantur subtilitatem, vt grauitatem specificam minorem habeant, quam aer, vel aliis ita iam existentibus iungantur, & earundem quasi alis eleuentur, in mercurii sphæram abeunt. Atque ob hanc causam, si generatim de his volatilibus agant chimi ci, mercurii nomine vtuntur. Sin autem specialem simul

materiam eius coniunctim cordi habeant, aliis nominibus eundem indigitant, ut hinc vel sal volatile, vel sulphur volatile, vel spiritus, vel oleum æthereum &c. audiat.

§. XIII.

Atque hanc ob causam multi mercurium reiiciunt, cum non peculiares ab omnibus reliquis penitus diuersas signet particulas, sed easdem certa tantum ratione dispositas. Verum si hæc sufficeret ratio, eodem iure deberet sal & sulphur reiici ex principiorum chimicorum numero, cum itidem nihil aliud sint, quam terra & aqua peculiari ratione dispositæ, imo ne aqua ipsa quidem & terra deberent admitti, cum generationem eandem materiam extensam agnoscant, & eiusdem tantum diuersam modificationem exhibeant, quam ob rem etiam aliqui vnicam aquam pro omnium rerum habent materia. Quemadmodum vero in horologio materia eius proximiōr seu partes eius quælibet seorsim considerantur, quanquam ex una eademque materia remotiori confectæ sint, & non nisi conuenienti figura & modificatione a se invicem differant, ita quoque corporum mixtorum partes, si vel maxime ex eadem constent materia, modo inter se differant, attendendæ veniunt. Nec inutilis hæc existit consideratio, fundamentum enim haud leue existit separationis & divisionis mercurius. Evaporatione enim mediante secretio & divisione obtinetur insignis, unde destillationis & sublimationis est basis. Figura mercurio peculiaris tribui potest nulla, cum non nisi grauitas specifica mutata, & respectu aeris minor existens, eiusdem essentiam absoluat, quæcunque demum particularum eiusmodi sit figura, quæ pro reliquis circumstantiis varia esse potest.

§ XIV. Non

§. XIV.

Non possumus non hic illustris Wedelii verba in *Physo-*
logia Reformata p. 11. reperiunda laudare, quæ vno intuitu
exhibent, quæ de his iam dicta sunt. Materia, inquit, prima
sit terra & aqua. Prima ratione αναλύσις ultimæ, ratione
simplicitatis, ratione corporeitatis omnis, quippe, quæ cor-
pus omne constituunt, matricem & stamina largiuntur. Ma-
teria secunda sit sal, substratum & affine terræ, sulphur sub-
stratum aquæ, mercurius substratus singulis. Atque hæc
iam de materia corporum pro nostro scopo sufficiunt, reli-
qua enim quæ ad hæc pertinent, prolixiori tractatione, quam
dissertatio admittit, opus habent, vnde iam ad alterum re-
rum naturalium principium ab omnibus concessum, Formam
nempe, pergitus.

§. XV.

Forma dat esse rei, distingui & operari, adeoque in
quonam consistat, & vnde proueniat indagandum. Corpo-
ra autem cum sint vel viuentia vel inanima, pro diuersitate
hac etiam diuersa gaudent forma. Inanimorum enim cor-
porum forma omnino in dispositione materiæ consistit va-
ria, vnde effectus & phœnomena deriuari possunt comme-
de. In viuentibus vero rebus formæ nomine nobis internum
venit illud principium, quod non solum dispositionem &
conformatiōnēm materiæ in iis præstat, sed etiam per mate-
riam ita dispositam & conformatam actiones edit conve-
nientes. Vtrobique hinc materiæ mechanica quidem adest di-
positio, sed in viuentibus nobiliori hæc substat principio. At-
que ita non solum materiæ diuersam modificationem, ex qua
sola quidam cum Cartesio naturam rerum diuersam deducunt,
sed etiam vim efficientem, quantum fieri potest, declarare licet.

B 3

§. XVI. Quod

§. XVI.

Quod enim coniungenda hæc sint, non solum res ipsa innuit, sed & multi agnoscunt, qui mechanicis furent principiis. Ita eleganter admodum *Thomas Cornelius Consentinus Progymnasmate II. p. m. 102.* Verum tamen, inquit, ne Cartesio plus tribuere videar, quam res & veritas ipsa concedat, non diffitebor, desiderari quipiam in eiusdem philosophia, nec per illius principia explicari satis commode posse omnia naturæ phænomena. Fac enim omnes inanimorum corporum functiones motusque pendere a diuersa materia modificatione, & omnino iuxta leges mechanica fieri, quis tamen nobis persuaserit, ipsas etiam animantes instar autopatōv cieri. Cum pleraque earum actiones, maxime que ad sensum appetitumque attinent, ita mechanicis legibus non sine obstricto, ut potius ab actione corporis sejuncte quodammodo videantur. Ad hæc *Renatus quanquam expressit accurate materiam, ostenditque, quaratione ex illa, variis conformata modis, possint diuersa rerum nature profici, vim tamen efficientem nequaquam pro dignitate satis explicasse videtur.*

§. XVII.

Quoniam vero omnibus communis est materia dispositio, huius considerationem iam præmittere vtile videtur. Materia autem quæcunque est vel simplex vel composita. Simplicem dico, quæ ex eiusdem prorsus conditionis particulis minimis ratione figuræ & magnitudinis constat. Compositam autem, quæ particulas minimas diuersas ratione figuræ & magnitudinis continet. Composita iterum alia est, quæ non nisi unius generis particulas, ex simplicissimis compositas, habet, alia vero, in qua particulæ diuersi generis ex simplicissimis conflatae reperiantur, & decomposita dici possent.

ret. Simple
aqua & terra
cunda, seu p
suis tacta, po
in quibus v

Consil
mixtione p
atura definit
salina, sulphur
minata propo
mogeneum ad
lem mixtione
ma alia, tam
structura. C
bent structur
uenientem si
figuram, ma

Viventi
fit dispositio
& dirigente.
ti, quæ cresce
mali, sive veg
primum imp
ositionem
men & ferm
commodè.
immutandi. V
viventibus ei

set. Simplex illa materia est superius dicta materia prima, aqua & terra. Composita prioris generis sunt materia secunda, seu principia chimicorum constitutiva, itidem superius tacta, posterioris generis vero ipsa corpora quælibet mixta in quibus ulterius materia dispositio diuersa eruenda est.

§. XVIII.

Consistit autem materiae in mixtis dispositio vel in sola mixtione particularum predictarum, vel praeter hanc in structura definita. Mixtio definita sit, si partes terreæ, aqueæ, salinæ, sulphureæ, volatiles &c. varie & conuenienti & determinata proportione intime vniuntur & coniunguntur, ut homogeneum ad sensum videatur corpus inde productum. Talem mixtionem solam habent metalla, cera & quam plura. ma alia, tam fluida quam solida, in quibus nulla reperitur structura. Coniunctam vero reliqua corpora solida huic habent structuram, ubi partes organicæ quælibet obtinent conuenientem sibi mixturam particularum dictarum, & præterea figuram, magnitudinem, numerum, posituram & unitatem.

§. XIX.

Viventium autem forma non vnicce in materiae consistit dispositione, sed in principio iisdem concesso mouente & dirigente. Per viventia vero hoc loco intelligimus omnia ea, quæ crescunt & multiplicantur, sive in regno animali, sive vegetabili, sive minerali. In his forma prima seu primum impellens & mouens est anima, quæ materiae dispositionem præstat, & quidem haud immediate, sed per semen & fermentum, quæ hinc forma secunda vocari possunt commode. Semen est vis multiplicandi, fermentum vis immutandi. Vtraque ab Omnipotentis Numinis benedictione viventibus est communicata: dum dixit crescere & multiplicamini.

caminis. Semen notat inchoamentum futuri corporis, vbi omnium partium stamina ab anima disponuntur, vt ipsa anima noua hisce iuncta ea perficiat, adeoque tandem corpus viuens prorsus simile, ac id erat, in quo natum est, semen euadat. Minime vero seminum vis in sola materie dispositione consistit, sed agens & disponens materiam ita, vt mechanica structura definita eueniat, requiritur. Modus, quo id euenit, rationi haud apparet, sed Omnipotentis Creatoris digitum hic agnoscere cogimur.

§. XX.

Fermentum seu vis immutandi necessaria est, cum rudimenta partium in semine perfecto existentia sint admodum exigua, & magnitudinem ac perfectionem ultetorem postulent. Hoc sine materia accedente non poterat fieri, materia vero nulla accedens, quæ alimentum dicitur & aliquam, quamvis remotam, habet conuenientiam cum corpore augendo, ita est disposita, vt parti ita statim apponatur, eiusque incrementum præstet. Multorum etiam corporum partes diuersa gaudent materia proxima, e qua struuntur, quæ ab eodem alimento sine mutatione non potest præberi. Ut vero fermenti natura clarior paulo euadat, cum illud a plurimis, haud rite intellectum, hodienum negetur & tanquam asylum ignorantia reicitur, quedam de hoc, quantum præstituta nobis temporis angustia concedit, addemus.

§. XXI.

Fermentum cum sit vis immutandi, definitum est, in quonam mutatio haec consistat, & vnde proueniat, sic enim omnia patebunt. Ex superius dictis notum est, materie dispositionem consistere vel in partium minimarum ibidem re-

censi.

censitarum definita mixtione, vel præter hanc in structura conuenienti. Fermentum illam tantum mutat & definitam ac rei cuilibet aptam efficit, & in iis, vbi structura accedere debet, materiam huius proximam. Mutatio igitur a fermento proueniens consistit in definite mutata proportione partium minimarum mixtarum constituentium, vnde quoque non nisi in fluido vel molli saltim evenire potest, cum dissolutio prius coniunctarum partium & coniunctio earundem noua alias non queat fieri.

S. XXII.

Mutatio hæc prouenit a motu fluidi vel mollis intestino, quo partes minimaæ constituentes varia proportione ad se inuicem accedunt, vt hinc vel quædam tantum particulatum componentium species definita proportione intimius iungantur, vel omnes alia tantum proportione intime remisceantur, secretis & separatis postmodum superfluis ad hanc compositionem non pertinentibus, motus autem hic intestinus dependet partim ab ipsius materiæ fluidæ compositione, partim vero a dispositione loci, vbi illa hæret.

S. XXIII.

Materiæ fluidæ conditio motum intestinum efficiens consistit in salis alcali & acidi ea coniunctione, vt in se inuicem agant, & intermedias partes sulphureas ac reliquas simul agitant. Solæ enim ex reliquis corpora componentibus hæc partes saline sibi coniunctæ motum tales intestinum subeunt & excitant, qui, si nullis rebus aliis intercedentibus fiat, maior est, & effervescentia dicitur, sin vero sulphureæ in primis, hinc & reliquæ intertextæ sint, quæ motum illum simul sustinent, & remissiorem paulo redduant, fermentatio vocatur. Loci dispositio ad motum huncce intestinum definitum reddendum concurrit, dum eiusdem causa tam proportio ingredientium mutatur, quam motus progressus

sius varie, ratione velocitatis, alteratur. Fieri hinc aliter non potest, quam ut varia & pro circumstantiis determinatis, determinata sic coniunctio & combinatio partium minimarum eueniat. Omnia haec, quæ ad intelligendam fermenti naturam facere queunt, prolixius & ex instituto eruta pluribus videri possunt in D. Praesidia Dissertatione de Συγκριτεῖ & Διανοῖαι humorum vitalium.

§. XXIV.

Chimici ex his formæ principiis non omnia suæ subjiciunt considerationi, sed illam tantum materiæ dispositiōnem inuestigare student, quæ ex particularum minimarum mixtione sola dependet. Structuram enim in abstracto Mathematicis, in concreto Physiologis, rimandam relinquunt, quorum hi etiam reliqua tractant. Fermentum quoque, cum ad mixtionem in naturalibus definitam potissimum faciat, non solum inuestigarunt & explicarunt melius, quam omnes reliqui Philosophi, sed etiam imitantur, & res varias eo mediante recludunt, de novo componunt, & efficiunt. Generatim enim chimici per δάκρυαν & σύγκρισιν, separatiōnem & vniōnem, seu diuisionem & additionem, partium minimarum artificiosam recludunt centra rerum naturalium, & naturam imitando varia in apricum producunt, quæ a natura alias non sunt.

§. XXV.

Vsus itaque, quem habent principia chimica, intelligi potest facile, si penitus ea consideremus. Vitio enim vertendum ipsis non est, quod minime figuræ, magnitudini & aliis particularum minimarum inhæserint conditionibus, quæ determinari exacte a ratione humana nequeunt, nec sensibus patent, sed laudem potius merentur, quod non nisi ea admiserint, quæ certissima sunt, & demonstrari queunt. Hoc enim modo absque errore progredi feliciter potuere, quod nunquam fieri potest ab iis, qui ex opinione potius, quam

re

re ipsa, rerum explicant phænomena. Neque tamen tam tollunt principia chimica reliquorum philosophorum dogmata, quin potius, si veritati consona sint, confirmant, explicent, & clariora reddant. Persuassissimum enim nobis est, omnium, qui ex re philosophantur eandem mentem esse, quanquam diuersis verbis eam explicent, cum non nisi vna veritas esse queat.

§. XXVI

Ostendunt autem principia chimica, ex quibus constent res naturales, & quænam earundem proprietates & operationes ex proportionata minimorum mixtione proueniant. Dum enim resoluunt mixta in partes simpliciores, & ratiocinatione legitima & experimentis genuinis eruunt, quid quælibet ex componentibus, tum sibi relicta, tum aliis diuersimode coniunctæ, præstare valeant, omnia ea patens. Atque hanc ob causam particularum terrearum, aquearum, salinarum & sulphurearum, volatilium & fixarum essentiam, affectiones & vires scrutati sunt, ut hinc quam plurimi effectus pro diuersa harum coniunctione, vbi vel plures ex his, vel quædam, & quidem definita proportione, mixtæ reperiuntur, ad suas causas reuocari possint. Vallet id non solum in rebus inanimatis, sed viuentibus quoque. Cum enim in his quælibet partes talem proportionem minimarum particularum mixtionem habere debeat, & fluidarum natura in ea vnice consistat, nec sine hac in solidis structura persistere queat, optimam etiam hic principia chimica præbent lucem.

§. XXVII

Non autem mixtorum compositionem tantum & indpendentes proprietates, operationes, effectus & affectiones per principia chimica cognoscere licet, sed etiam quomodo determinatæ mixtionis corpora obtinere, & scopo apta efficiere queamus. Hinc non solum metalla aliaque quam plurima insignem usum habentia, sed etiam in primis medica-

menta efficacia & determinatae virtutis per chimiam adquirimus. Hoc ipsum quidem etiam illi agnoscant, qui alias principia chimicorum negligunt, sed examinare illa & ad veritatem reuocare si velint, omnibus iam dictis sponte assensum præbebunt.


§. XXIX.

Vtile quidem esset, ad specialiora transire, & ostendere, quid in mixtis terra, aqua, salia, sulphur &c. pro qualibet definita coniunctione præstet, & quæ inde prouenant; quemodo medicamentorum vires optime & demonstratue inde possint deduci; quanam ratione σύνθεσις & διάρρησις vbiique apte debeat institui. Verum ita tota chimica doctrina deberet tradi, quam nec paucæ eiusmodi pagellæ, quæ dissertationi destinatae sunt, capere possent, nec instituti nostri ratio iam admitteret. Sufficiat iam nobis principia hæc chimicorum generatim tantum exhibuisse, eorumque existentiam & veritatem ac naturam, nisi fallimur, probasse sufficienter, occasionemque præbuisse, ut illi, qui odio hæc habuerunt, dubitare incipient, rectius omnia considerent, & tandem, quæ veritati consona sunt, admittant, elegant, & ad usum vberimum impendant.

§. XXIX.

Dubitatio enim in talibus rebus utilitatem omnino habet insignem, non enim perpetua existit, quæ vana omnino & inepta foret, sed tantum præcedere & præiudiciis remouendis maxime inservire debet. Iuvis itaque, vbi nec experimentis nec rationibus rite instituus conuicti sumus, dubitare tamdiu debemus, donec sedula inquisitione, rationes & experimenta reperiamus, quibus decenter adhibitis, certissimi reddamur, rem ita nec aliter se habere. Hoc autem si quis circa chimicorum principia obseruare velit, non solum eorundem veritatem deprehendet, sed omnino etiam perspiciet, mancam sine chimia esse scientiam physicam & que ac medicam.

SOLI D E O G L O R I A



TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Black	3/Color	White	Magenta	Red	Yellow	Green	Cyan	Blue

TIFFEN® Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007

